

Disertissimus Sibi Orator
D I V U S
FRANCISCUS
SALESIUS,
GENEVENSIMUM ANTISTES,
EX TERTIO MINIMORUM ORDINE
S. FRANCISCI DE PAULA,

Quando

Pro Tribunali Oratorio,
Sedentes Salesianæ Virtutes,
Humanam Svadæ insufficientiam

panegyrico absolvant ,


Apud RR. PP. Ordinis Minimorum Pragæ
Urbe Veteri

In Basilica Salvatoris,
JUDICIARIAM SENTENTIAM

DEFERENTE

P. FRANCISCO WEIGEL,
Societatis JESU Religioso.

Anno M.D.CC.XXXIII. Mense Januario, Die XXIX.



PRAGÆ, Typis Universit. Carolo-Ferdin. in Collegio S. J. ad S. Clementem,
per Norbertum Joannem Ficzkyn, Factorem.

S U B
FAVENTISSIMIS
A U S P I C I I S
R E V E R E N D I S S I M I .
C E L S I S S I M I .^{A C}
D O M I N I D O M I N I
D A N I E L I S
J O S E P H I
D E I , & Apostolicæ Sedis Gratiâ
A R C H I - E P I S C O P I
P R A G E N S I S ,
Sacri Romani Imperii PRINCIPIS,
L E G A T I N A T I ,
Sacræ Cæs. Regiæque Catholicæ Majestatis
Actualis Intimi Consiliarii ,
Inclyti Regni Boëmiæ PRIMATIS ,
nec non Universitatis Carolo- Ferdinandæ Pragensis
Amplissimi, perpetuique C A N C E L L A R I I ,
DOMINI DOMINI AC PATRONI
G R A T I O S I S S I M I

REVERENDISSIME,
AC
CELSISSIME
SACRI ROMANI IMPERII
PRINCEPS,
DOMINE DOMINE.



*Ubmississima veneratione, eoque pro-
fundius Celsissimis Gratiis Tuis advolvimur,
quod humilius, non nisi de Minimorum Familia
D. Francisci de Paula Conventuales adrepere
audemus minimi. Atque ita qua par est pie-
tate reverenter accidui, apprimè illa, qua Glorio-
sissimo Nominе Tuo, verius opere laudatissimè pafers dignitatum
decora, ut illa singularius hodie nobis reddas clementia, humillimè de-
precamur. Si enim Te Celsissime Princeps Boëmia Archi-Diaceeos
Supremum Arbitrum suspicimus, altius quid Munere Tuo principaliè
adimplès, quam, cujus nomine gaudes, veteri lege à judiciorum equi-
tate commendasse Propheta Daniel preferebat, posteaquam Eccle-
sia Univerſa in gloriam, Orbi Boëmo in perenne incrementum, Am-
plissima Archi-Diaceſi in decus, & ornamentum, cunctis, quod mi-
rarentur, in exemplum, omnigena Virtute, Judiciorum perspicacitate,
regendi peritiā, grandibus meritis illuſcīs, ut, quas in pluribus aliis
reperiſi fuit, in Te gravissimas, virtuoso nexus ſibi federatas animi
dotes, eo duntaxat obtutu profundissimè veneremur, quo nonniſi plus
rīnum cacuendo, latifimos Phœbi radios humanus oculus ſolēt in-
ſcri. Et vero, quis unquam meritissimam Gloria Tua ſufficientē*

elogio complectatur amplitudinem, quam, ut maximi Casari^s C. A.
ROLI VI. Augustissima Gratia prosequerentur, Te, tanta dignita-
te, quantâ emines, clementissimè condecorari voluere; nempe: tanta
Celsissimarum Virtutum tuarum est existimatio, ut Romani Imperii
triumphales Aquila Tibi gratiarum Alas protendere in maximis ha-
beant amoribus, ad volentesque. Est itaque, ut Clerus omnis meritissi-
mum Caput suum, profundissima veneratione ad geniculando resti-
ciat, Celebris Universitas Carolo-Ferdinandea Amplissimum, perpe-
tuumque Cancellarium, omni, quâ pollet, scientiarum affluentia sub-
mississimè revereatur, Insulati Presules suum honorent Principem,
Regnum Boëmia suspiciat Primatem. Neque hac nostro de consi-
lio prolata arbitrare, verum, quod orbe penè universo, tantis enco-
miis, immortali fama, gloriâ nunquam collapsurâ, velut alto omnis
honoris meridie affulgeas, omnium vox, cunctorum est Gratulatio.
Quidnî ergo Celsitudinis Tua laudatissimum Nomen, quo, dum Vœ-
teris Danielis in Te rursum animatas ostentas dotes, propria vero
tua Meritorum, & Virtutum nullò satîs numerô calculanda mul-
titudine firmatas esse, non vulgare exhibes documentum, rever-
entiissimo exoremus affectu, ut praesentibus Solemnis refulgenter
D. SALESIUM Nostrum, integrè tuum fieri gratosissimè susti-
neas, atq; hoc pacto Te apprimè DANIELEM deprecamur, ut, quo-
niam Sacerrimum Antistitem sibi disertissimum esse Oratorem, con-
stituere licuit, nostra desideriorum teneritudine coram Te tum Celsi-
simo Auditore, tum Spiritualis Tribunalis Summo Praeside causam
pertractes suam, atque, quibus quondam in vita pollebat Virtutibus,
illas Celsissimis Gratiis Tuis serves domesticas. Quod, dum D. SA-
LESII Votum est unicum, Tibi Reverendissime ac Celsissime Prin-
ceps omnem felicitatem, aeternos dies, commensuratamque Meritâ
tuis perennem gloria precatur immortalitatem.

Reverendissimæ Celsitudinis Tuæ

Devotissimus
Minimorum Conventus
S. Francisci de Paula,
Pragæ ad S. Salvatorem.



ORATIO.



Emeritatis reum, nec nisi inconsulte, ac parum ad Divi ex hoc loco celebrandi gloriam appositè me hodie acturum, vel, si in hoc, quod alterum impræsentiarum agere constitui, attentius animum reflexeritis, factum illud admirationis ferè nihil adserens, magisque populare censemebitis; qui communi prætergresso dicendarum laudum genere Salesium, disertissimum sibi esse Oratorem, hujus verò maximè præcipuas virtutes, omnēmque vita præstantiam, aliis jam usitatā operā, & studiō, in judicium cogere contendo. Et verò vestram præprimis PP. Religiosissimi deludi opinionem, extingui vota, & plū quam seculo stabilitam dicendi consuetudinem temeraria quamquam subverti novitate, eò fortiori querimonia incusabitis, quò impensori desiderio non ipsum Salesium, sed me ad perorandum apta pollere facultate, me pro rostris stare, me demum præsentibus Solemnīis Oratorem exambiistis, minimè, ut ipsus sibi dictionis gloriam adornet, dicātque triumphum. Atque indè, quod agere cœpi, non omnibus temerarium audiat; civilitatisque extimæ tam leges, quam limites egressum justam animorum non moveat indignationem? si autem ex hoc, omnis expertem culpæ, remque melius fieri, quòd non mea interposita autoritate, vel jure, quin magis ipsi in tribunal vocatis, sententiāmque ferentibus D. Salesii virtutibus, factum hoc fieri debere corām attulero: etiam in illo admodum laudis parum Divo attribui, nec adē aptum, & expediens dicetis, ut non sapius jam Sanctorum vitâ simili laudationis jure expensâ, crambem potiùs recoqui, quam novum laudandi adferri genus, doleatis, indè autem unus ego expectatione vestra multūm inferior corām stare erubescam. Verūm nolite committere, ut, quam ostensum à me fuerit, sive de meo consilio, sive de Salesianarum virtutum factione existimetis. Ut enim ea indole sunt permulta, quæ non simul, atque oculis usurpata domestici splendoris, ac pretii conscientia faciunt, imò altis majori parte recondunt tenebris, nec nisi omnia sint excussa, præstantiz suz fulgorem ab homine mittunt; ità tale quoque præsens est, cuius non modò commendatio, & æquitas, sed etiam amor, & necessitas vosmet fugit. Redite enim tantisper in jugem Salesio ultra seculum dicas laudis memoriam, & quemadmodum ornata sit, accurata recordatione

datione revolvite. Neque perpsuca veniunt, quæ sive sub symbolica rerum imagine, sive aperto elogio, amore, nisùque omni in encomium delata probastis. Jam inter blandè sagaces verborum lusus, minimus, & maximus, modò Angelicos Choros inhabitans, spectata virtutum ratione, ac præcellentia, & Seraphim, & Cherubim audiit, jam orbis thauma, iterum humani generis Apostolus celebrabatur, modò ab liliata castimonia candidissimus, à futurorum perspicacia, miraculorum claritate, perversæ hæreses expugnatione, omnigenâ eloquentiâ, pietate, humanisque viribus concessò studiò, per omnia laudum genera gloriosissimus prochebat, queis minimè inficior, sed & Vos illo, quo in Divum semper devoti affectu, talem fuisse, atque simili debuisse extolli honore, abundè confitebimini. Unum autem, quia in hoc rerum articulo, ità planè actum iri ex vobis libet percontari, num illis, quæque in Divi Gloriam summa animorum dicta sunt contentione, Vestra pietas, amôrve passus satiati? num non semper Salesianas laudes excipiendi habuerit cupiditas? ut indè quadam mentis turbati inquiete, demum ipsi Salesium nunquam debito honore, & quaqua alias celebraudi industria, nunquam sufficiente, laudari posse saluberrimò decernatis argumento. Atque indè si Vos, qui majori, quâm ego unquam corde meo concluserim, in Divum ardetis pietate, æquum tamen denunciatis, ubi Salesium humanâ prædicari sufficientiâ negatur, sed & hoc dicere, ubi amor necessitatem, hæc amorem compellit, nihil omnino est, quo non in meam concessisse sententiam advertam, nec alio ex fine Salesianas virtutes pro tribunali considere, ac mortalem Panegyrico absolvere eloquentiam sum commentatus, quâm ut vobis accedendo eadem sentirem, & quæ cordibus vestris summa in Divum veneratione, ac extollendi desiderio devotissimè concluditis, idipsum ego opere demonstrarem. Ac proinde illud jam commendabile, & pro amore vestro æquum, ac necessarium habebitis, quod priùs vulgare, nec nisi mediocre credebatis, imò verò in judicium concedentibus Salesianæ virtutibus ultro Vos comites deferetis, idem è facilius de humanæ laudis insufficientia corroboraturi decretum, quò ardentiùs Oratoris partes unâ mecum, nulla jam temeritate, verum selecta novitate devotionis, in Salesium transferri, ut probè reor, ipsi etiam animum adjicietis. Sed nec muneri huic Divum defore, imò verò facundissimè jam jam dictionis sustinere provinciam creditote; posteaquam, quantò majori rationum pondere, vi, & judiciorum pernicate in hoc Oratorio virtutum confessu Salesii causam agi adverteritis, cùm nulla non futura virtus, quæ sublimiora sibi non deposceret encomia, tantò etiam amplius, & ut plurimum appositis laudandi argumentis ipsum sacerrimum Antistitem co[m]ensuratam meritis copiam dicendi adferre, ipsum demum verba facere, excipietis. Nempe, stabit Orator in rem suam disertissimus, dum ad æquitatis tribunal evocataæ Virtutes Salesianæ jus humanæ dicent insufficientæ, in illis loquetur Salesius, sed & ubi congenitæ humilitatis non immemor veræ laudis reticuerit præcellentiam, virtutes judiciariz quasi sociali lingua Panegyricum prosequentur. Sic enim hac de re cum animo meo existimare soleo, nihil in vita similiter facile, ac pronum, nihil rationibus suis magis visum ac expediens Salesio accidisse, atque virtutes sectari, illis imbui, earundemq; summam contingere perfectionem. Itaque crediderim Salesianas in judicium concessisse virtutes, causam dicere, minus tamen subsequi Salesium, muneri huic operam negare? illis in verba, nè dicam penitus liquefcentibus, Salesium tamen obmutescere? absit, ut quem in toto vitæ cursu, à virtutum

tutum consortio sejunxit nemo, nos in præsenti actione non abs temeritate,
tanquam à sibi propriis alienum dotibus fecernamus.

Quod dum ita, Vesta jam jam PP. RR. calentia morari desideria,
longamque eorum, quos præsentibus tum adesse soleminiis, tum ultro ad
futuros ominati quoquo titulo Auditores estimatissimos, lædi expectationem,
incusabitis, si ulteriori contextu meo virtutibus jus dicentibus, & in his Sa-
lesio Oratori causâ & verbis interdicere; sed nec mea non impar Vesta
omnium pietas, & religio aliud agere jubet, quam votis Vestris suffragando
pari aviditate novum Tullium præstolari. Agite itaque, & quam à Vobis
aurium efflagitandam non habeo benevolentiam, plurima devotione Sale-
sio posthac verba facienti eò avidiùs commodate, quod devotius in Ejus a-
morem pronissimi etiamnum cælestibus honorandum eloquiis exoptatis.
Erit hoc pacto unus Ille dictionis finis Vobis gratissimus, ut, cum hoc vir-
tuoso confessu nuspian pro condigno humanâ Divum eloquentiâ laudari
posse concludatis, in his verò sententiam subscriptibentibus ipsum perorare Sa-
lesium, audivisse, intimis Vitâ Vesta præcordiis exultetis, favete.

Nolim, existimetis illud me ignavo partim timori, partim abjecto otio
turpiter imburz indoli concedere, ut, dum in mei vicem pro rostris
succedente omni laudatissimarum Divi Antistitis virtutum numero, quas qui-
dem apprime judiciarias esse exambio, in illis verò ipsum Salesium sibi di-
fertissimum nunciavi Oratorem, unus ego hoc ex consilio, agendique pro-
posito, quæque sunt, habenda dictionis subterfugerem negotia, vel postquam
humanam panegyrico absolvi eloquentiam, origo sum, & author, indè ma-
joribus meis, quidquam Gloriz detrahere, meritam infringere commenda-
tionem, aut quod nefas duxerim, antè habitas laudes sub emendationis spe-
cie quibusdam lñdere convitiis, unquam fuerim meditatus. Ea quidem il-
lorum animum utriusque subire potuit opinio, qui ante me pluriūque an-
norum sepolita serie splendido verborum apparatu, dicendi gratiâ, encomio-
rum raritate non magis ad Divi in Vobis sufflammandam amplius celebra-
tionem, quam certum quoddam causando oblectamentum, propria ad id
perorandi capacitate verbis diffuebant. Ast quoniam more ac velut insi-
tuto etiam Vobis perquam communis, tum grandia Salesii merita, Gloriz, no-
minis, factorumque peramplam dignitatem, & quissimis prosequi honoribus,
atque omni laudum genere efferenda constituerem, sed & in hoc plurimum
anxius, Ejusdem Divi amplissimas dotes, sive in Orationis suppetias, sive in
confilium flagitarem, talem omnino earundem adverti laudandi copiam, su-
spexi Majestatem, ut quidquid adusque conamine suo humana aggressa fuit
eloquentia, honorisque artulit in vœtigal Gloriz, nunquam condignum me-
ritis, par, sufficiensque excelsorum virrutum existisse, certum velut in re-
sponsum, ac insallibile pro servituro ulterius retulerim documento. Quid
ego hic loci? quæ me non solicitude! quanta non agendorum anxietas,
quæ consternatio! enim verò nec Vobis hic alius labor, nec cura alia, quam
Salesii meditantes talia Virtutes primùm blandiendo deprecari, atque mitiùs
sentirent, dum verò renuentibus, responsum vindicando eam indicere pro-
vinciam, in illud cogere, ut quaqua ratione, asserti diluerent severitatem,
sicque in judicium vocatæ, aut illatam mitigarent injuriam, aut insufficien-
tiam argumentis probando ipsæ panegyricum adornarent. Quod, quis non
tam rogantis importunitate convictæ, quam propriæ excellenciaz amplitudi-
nem exhibendi desiderio animatæ, lubentes, aggredi, probare, decidere ap-

promittunt, Vos AA. spectatissimi præsentem Basilicam in Areopagum jam jam abivisse, aptari subsellia, præferri fasces, sequi Virtutes, atque judicatu- ras considere, verius animo, quam re arbitremini, neque inde cum ambone Oratoris unâ & Actoris viees cedente, illas posthac oratorio pro tribunali so- licite occupatas auditote. Nec diu, quæ sermonem ordiretur, disceptatum, quidque causarum adferret una, tempori multum, vel datum labori, sed quod prima esset, quæ in Salesio, Ejusque annorum teneritudine diverso e- logio laudatissimè commendabatur, vitæ innocentia, etiam sibi id muneris concessum iri arbitrata, prima linguam aptare cœpit, auspiciariq; sententiam.

Illa ego, cum primis vitæ incunabulis Salefio liliate intemeritatis can- dorem, atque, quod ipsi in encomium probastis, Angelicam instillans purita- tem, virtus integrissima, adeò me hodie in voces animari, & omnigenam di- cendi facultatem erigi persentisco, ut quantumvis judicis induita personam, muneris, præsentis fori, causæ, exigitasque rationem apprime spectandum habeam, non ita laudis meminisse; adhuc tamen pro rei exigentia, & quod gratitudinis longè est maximum, nequeo hodie omnis immemor honoris, unam judicii mei prætexere severitatem. Quis enim unquam mortalium, quibus innocentia datum est nosse præcellentiam, eò usque me suis conclu- fit præcordiis, conclusam solicito prosecutus amore, amatam omnibus viri- bus vitæ chariorem in extremam horam usque adnitus intemeratam asserva- re? quis Vatinianis majori in se odio, inedia, atrocissimo verbere, omnique piè mortificandi crudelitate, tantam mei amavit custodiam, quanta non mo- dò meæ abunde sufficiens integrati, sed ut ipsius vitæ præferret incolumi- tati? quis dénum sacratori latræ actu, me, ac insuper, ternò juratam Sa- cramentū, me, inquam, in omnes vitæ dies inviolatam, purissimamque devo- vit Altissimo? asservavit, custodivit, devovit Salesius. Atque inde, dum pro tribunali confideo, humanæ eloquentiaz jus dictura, nequeo, non tanto in me amori, curæ, ac studio gratias rependendo, etiam encomiorum recorda- ri. Ast, quoniam potior venit, causæ decisio, quam multa propensione lau- dibus immorari, ex iis, quæ coram adusque attuli, insufficiente legite argu- menta. Si enim in Salesio multo juxtæ ac gravi rationum pondere me an- gelicam, nec immerito dixistis innocentiam, non quod mortalitatem exuta, magis cæli spiritibus naturâ sociarer, verum, quod castissima vivendi condi- tione altius quid homine angelum præfero, dabitis id mihi & cælestibus ge- niis competenti altioris ordinis dignitate, etiam me sublimioris excel- lentiæ virtutem confiteamini, cum minimè crediderim, Vosmet duntaxat no- mina velle conferre, quibus non idem, quod ea designant, intellectum veli- tis, itaque angelicos inter sublimata gradus Salesiana puritas, ò inaccessam altitudinem! inferioris linguez beneficio mea sufficienter prædicari credam decora, coli præcellentiam? illa, quam humanam modò agnosciris, nec adeò illimem, ut non etiam inter festivæ dictos gloriae applausus convitiandi ca- reat periculo, & fuisse scitis eloquentiam, illa, omni mortalitate perfectio- rem, ab omni nævo illibatam, candore illustrem, angelicam meritò inteme- ritatem sufficientibus evehat præconiis? equidem credo vel ex hoc, quod aliæ animo certum tenuistis, jam nec amplius probabile dicetis. Verum sunt tamen & alia, queis non modica succrescit probandi fertilitas. Edicite, atque dum Salesium ternò votò animi & corporis illibatam DEO sacrâsse gemitoniam, vestrò edictò probatum habeo, insimul quantum perfectionis, valoris, & meriti, tum apud Superos, tum mortales inter pietatis, & cultus, vel uno horum lucratus Sacramentū, si modò integra recordatione assequi valetis;

valetis, corām cupio nunciare. Me certò! ea voti unius, omnium est existimatio, ut iis, quā hominum pietas agere sive opera, quodlibet Latrī factum quām longissimē antecellat, neque uni omnium adusque datum sit, quod superni præmii tam præstans est occasio, promeritam illius Gloriam suo numero definire. Quod dum ipsi probè nobis, tanta sanè rei habenda est celebratio, honor tantus, ut virginem vitæ intemeritatem à Salesio ter cœlis jurejurando sacram tam estimatissimum, pietate maximum, numero perfectissimum fuisse opus concludatis. Indè verò quā ab hominum ore venit commendatio, pretio imparem, vocibus modicam, gloriā tenuiorem, quām ut debito eandem cultu prosequatur, autquam meritis unquam tuliterit prærogativam, cùm, quod maximum, atque naturā suā transcendens est, nunquam ab inferiori gloriam mercari posse autem. Sed quid ego plura comemoro, cui unum attulisse, convicisse propemodum fuit. Si enim in calculum referre neutiquam potestis, quā in mei tutelam sive pietatis officia, sive corpus domandi genera, prægrandi industria, & impendio exantavit; equidem reor, neque virtutem hanc à vobis tantis prosequendam esse, quantis illam stetisse Salesio ignoratis.

At verò Vosne AA. Spectatissimi perorantis innocentiz judiciariam periodum (non enim illum ego argumentorum tacitus ultrà deniror ordinem) quāque tum in sua laudis amplitudinem, tum quanta in Salesio existiterit, semper diuturniori Vestro adhuc prolixius devolvenda filentio suppor tabitis ? Vos ad tanta probatæ insufficientiz conticebitis testimonia, continuatāque taciturnitatē ultro victos, neque quod in apologeticum serviret responsum, superesse, contestabimini ? an non tumultuaria conclamatione responsa cumulabis ? sed quā probata consolident. An non paulò antè jus dicenti innocentiz iram, odiūmque jurabitis ? sed queis stabilitz sententiaz adversarios fulminetis. An noa demum argumentis pondus, rationibus vim, virtuti victoriam negabitis ? sed modò, qui tanta facto suo adferri fecit, Salesius triumphet. Ità namque unā mecum Vosmet sentire, atque nè longior unius Oratio aliarum præpediat judicium, Vesta assensū plenitudine, quid Salesii mansuetudo in rem suam, & quantum Gloriz merita, dijudicet, dictionis facere reor potestatem. Audite perorantem :

Magna quidem sunt, quā corām in Tui amplitudinem, gloriā incrementum, atque ad Temet nulla satis voce evehendum exposuisti virtus integerima, non tamen in illo excessu grandia, tamque in laudes Salesii plura molesti severa, ut, quod ego ultrā deposcerem meis quasi infirma argumentis, non haberem, vel omnem sententiaz mez præriperes provinciam. Ego sanè sic existimo, non in alio &quā Salesii incredibilem magnitudinem elucre, nou alibi integerrimam Ejus mentem, ac sanctitudinem certius deprehendi, atque dum ad me mansuetissimam omnem suam componeret operam, à me nuspiam abstineret. Ipsos Vos appello Judices, discernite, probate, & dum haud dubiè Salesium ex clementia totum compositum, mansuetudinis verius, quām hominis imaginem suspicitis, cui certum, & deliberatum semper, calamitatibus alienis non aliter, atque suis moveri, felicem cupere omnibus, cunctis commodare ; etiam illius mansuetissimæ indolis, quā amoris plenissimi oculorum conjectus, vultus amœna suavitas, sermonis melleus quidam dulcor & gratia, quā, vita in infidiis usque traducta, dies, noctésque recreandis pauperibus impensū, quā in ditandis inopibus, juvandis miseris, labores innumeri collocati, totus demum voluntati & gratiæ omnium deditissimus maneret, nulli inferiorem, parem omnibus, &

quod me probandi ardor extimulat, ausim dicere, cunctis superiorē erūt excellentiam. Si enim eam hominis barbariem, qui aliorum omnium milie vulnera, mortesque ambiendo furiarum prævertit rabiem, damna molitur undique, nihil tam scelestum, quod non egerit, tam crudele, quod non in deliciis habuerit, tam immane, ac ferum, quod non absque numero repetitis facinoribus patrārit, tantam, inquam, profligatis tyrannidem, & quod nec verbis exponi, nec scriptō sufficienter depingi potest, indē execrabilem omnis malitiz damnatis fœditatem ; nullus non erit, atque singularius in Salesio repertam mansuetudinem, clementiamve, queis omnibus fieret omnia, asper- rimis vexari, affligi calumniis, sexcentas mortes inter ab heterodoxis in oīne quāri discrimen, insuperabili constantia, infraētōque animi robore susti- nuit; illam ego, aut verius me virtutem Salesii mansuetissimam, tenuibus, atque modicis duntaxat verborum titulis, & suco illo, quem humana condi- tio meritis ad blandiens in laudem appingere solum valet, asseverabit posse circumscribi. Jam verò, quod dictura, ingenti animorum attentione excipi velim, nè tam grande ac divinum, quod ipsa Numinis Omnipotentia mi- nistrat, suo pondere depereat argumentum. Erit, ut quem in vivis clemen- tiaz quidem maximè deditum, sed & opinione adusque Vesta ex hoc com- petentibus præconiis posse honorari, post fara, & ubi sacras Ejusdem exu- vias intimius inspexeritis, Salesium ex funere suo mansuetissimum, omnis- que humanæ laudis sufficientiam prætergressum unanimi voce denuncietis. An enim Vos fugit, aut eorundem jam habet oblivio ? quæ non sicut por- tento, eoque præstantiori, quod singularius omnis humana vita, & modò cum hac ipsa etiam mortalis servatur conditio, in ipso exanimato Salesii corpo- re ad omnium maximam venere admirationem. Si spe mea magis obli- viosi, tam grandis eventus negatis notitiam, dicam, quod fuit. Nam in quo præ aliis gloriam mereri, præcellere mihi gratulor, factum hoc divinum mi- nimè reticuero. DEUM immortalem ! vitâ sungitur Salesius, saecerrimum producitur cadaver, corporis intima perlustrantur, nunquam tamen omni medicantium industriâ, quod alias cuique hominum, tum in vitam neceſſa- rium, tum cunctis iræ est in nutrimentum fel, ô grande portentum ! fel, in- quam, omni hominum naturæ consuetissimum, datum est reperire. Indē verò, quantum existimationis haberi, vel nunquam deprædicanda Divi glo- ria, debeat, deduco sententiam. Egit, atque si fas est dicere, debuit divinus Ipse omnium Moderator DEUS, modò cælo dignis mansuetissimum proba- ret testibus, non illâ, qua in omnes & creaadi, & conservandi fertur potesta- te; verū insueta, nec nisi rarissima ordinatione, ac insuper de omnipoten- tiaz suæ abyſſo admissis miraculis indulgere, dum illud, cum quo, vel natus fuit Salesius felle, aut divinitus mutatâ hominis naturâ, perderet, aut sicut quo genitum, grandi conservaret artefacto. Nunquam ego, vel mecum ali- quis illud in animum inducet, atque humanam eloquentiam omnipotentis dexteræ præhabendo viribus, concinnando elogio dabit sufficientem, po- stequam, cui à clementia laudatissimo meritam optimo jure gloriam ador- naret, & talem orbi universo manifestaret, cælum ipsum, prodigiis uti, occu- pari, fatigarique erat necessum. Itâ namque exulat ibi omnis laudandi pe- ritia, ubi duntaxat portenta loqui, his triumphum instrui Divina cupit Ma- jestas. Atque his, & id genus plura, non eò quasi non suppeterent, sed quod nec Oratione comprehendendi omnia possint, & Vobis ipsis notiora sint, reti- cendo, meo quidem judicio finem, sed quid juri tuo tribuendum, per Te ar- dentissima Salesii pietas ! cupio, reddatur manifestum.

Quæ etiam præ cunctis semet cupiens laudatam, in voces pronissima, talibus suam auspicatur dictionem : Quandoquidem illa, quæ coram adducta, meæ non modicū causæ favere in comperto habeam, & nihil ferè sit, quod non simul in meum veniret argumentum, pluribus supersedendum arbitrarer ; nisi & alia, quæ specialiùs patrocinari visa mihi sermonis copiam, velut altissimo oberrandum esset oceano, aperirent latissimam. Ecquid enim oro, in omni vita spectavit intentiùs ? quid propositum, & designatum habuit singulariùs ? ac, ut se omni institueret pietate, religionem coleret, amorem in DEUM omnium mortalium corde flagrantiorem servaret Seraphicum. Hæc autem, si omnis vitz ratio, & institutum Salesi, quale, quantumque existimabis, inter omnes Italiz, Sabaudiz, Galliz, sui seculi, commemorabili devotione præditos Præsules, adhuc tamen rarissimo encomio Sanctissimus audiri : ea certè utriusque est existimatio, ut præmatura loquacitate identidem DEUM in clamare, cælestibus frequenter radiis affulgere, morborum calamitati præsentissimam ferre medelam, futura prospicere, totus in amorem Numinis insatiabili flagrare incendio, rem in usitatum, inauditamque aliàs, jure optimo teneatis; ante alias verò, quorum æquè una est religio, per amplius pietatis ardor, studiūmque devotionis, comuni omnium lingua pienissimum dicí, incredibile, ac penè Divinum suspiciatis. Ad hæc, illum meritò à cultu supernorum æstimatisimum, consumatæque illustrem perfectionis autum, cuius æstimatam pietatem, grandia æquè, ac multa edita prodigia velut probato comitantur testimonio ; illius quidem, quod, de mortuis vitam reddidit, robustissimam Christianæ fidei firmitatem; hujus, quod toxicí plena innocuus babit pocula, divinam spei plenitudinem ; illius, quod exstatico abreptus spiritu, Sacratissimæ Triados aspectibus frutus est, ardentissimum latræ amorem, tanquam amplissima laudandi specimina, omnibus vocibus celebrari, extollique debere, æquum, ac justum decernetis ; ast ubi eadem hæc in uno reperta Salesio, atque ingentibus portentis consumata, etiam ex hoc suggestu laudatissimè promulgastis, ô innumerabile laudandi genus ! Vobisinet adversari crederem, si non pronissimo mentis suffragio collecta, in Divinum Antistitem pietatis decora, summa fuisse, maxima exstare semper dicatis, voluntate probetis, toti demum quanti contestemini. Et sanè indecorum, ac turpe fore afferam, ut, quod & oculis Vestris inusitatum, incredibile, ac penè divinum subjicitur, quodque Vestris argumentis orbe toto maximum audit, adhuc tamen, quod omnium lingua prædicari potest, & humanam eloquentiam sibi meritis comparem sentit, insulm parvum, ac mediocre admittatis. Verùm exaudire mihi videor interpellantes alios, has voces, quas, vel laudandi cupiditas, vel hominis amor expressere. An saltèm non iis, quæ architectantium adinvenit peritia, ædificiorum majestate, Salesianam gloriam assequemur? sed & hoc quām modicū conferat, contendam. Agite per me licet, atque Divo in laudis meritum, templa, trophæ, monumenta, & quidquid dives Vesta valet devotio, proceritate summa, spatiis magnifica, majestate augusta construite artefacta, his quidem, longa annorum tempestas subinde finem est allatura, nihil enim est opere, vel manufactum, quod non aliquando conficiat, & consumat vetustas ; at ego Illa Salesii Pictas, Religio, Amor sacerrimus florescimus quotidie magis ita, ut quantum operibus istis diuturnitas derrahet, tantum afferat laudibus ; ac proinde quamquam mortalitate Vesta grandioribus structuris, hoc quidem Vestro jam iudicio, minùs tamen illis concessum iri, quod muta sunt, arbitror, quām ut illic eam dem, quam in Vobis æquam laudandi facultatem.

Sed qualis ad ista, Vestrā jam animōrum conclusio? qua mentis tranquillitate, pace, gaudiove, nullo rationum pondere grandescentem, & in Vos, quotquot pro Salesio stetistis unquam laudatissimi Tullii, invectivam ferri persentis sententiam? cedendum hic sanè tempori, nec locum esse argumentorum vim responsione diluere, vel certò eadem convicti diutiū persistendum negabitis. Quia imò, quod mei est consilii, responsa reddite, Vestrāque, quam cœpistis, statione subsistite. Unam adhuc pro Salesio jus dicentem præstolemini virtutem, quæ, ut ceteris aspectu gratiofior, pompa & magnificentiā illustrior, virtuosique hujus, nī fallor, sumūmum tribunalis sustinet præsidium, ita fortasse facile aliarum stabiliverit decreta, vel quod in Salesium & ipsi quanti estis venerantes, Ejusdem amplioris Gloriz recentis momentis, animum Vestrūm, si modò in hoc ladi potuit, sua sedabit oratione. Et enim, quæ præsentis causæ finem factura est Virtus, nec ab ipso integer interclusus Salesio, cælestis lucri, animarūmque ardeorūm Zelus est, ac talia fatur:

Illud præfencis adusque confessus fuit negotium, hic labor, ut Vestrūm quælibet, Virtutes lectissimæ, Salesium, pro viribus, nullā, quæ licet antehac in concinnandis honoribus diffluxisset verius, quām perorando substitisset, aut imposterum conaminis assumeret plurimum, mortalium eloquentiā, exornatum iri, non modico, sed exesse commendabili ratiocinio perhiberet; jam, quod mearum est partium, istud, eoque lubentius, non modò humana loquacitate, sed nec iis, quæ ego coram in Divi commendationem detulero, uspiciāt celebrandum, spontaneè victa hisce contendam. Quis enim de zelo unquam relatas palmas, lauros, & omne victoriz genus suo definiverit calculo, pretio sit complexus? si una aliqua, certò hæc virtus ego in Salesio maxima; si, ut erant, familiares erant ceteræ, hæc ego Regina, ac Domina, si penes illas potestas nonnulla, penes hanc erat primaria. Nam, quod de castimonia, mansuetudine, Religione immarcescibiles nactus triumphos, Victor sui exstitit, quod septuagesies bis mille lucratus cælo animas, Bonnium, Davulium, atque Avulliacum, hunc quidem in primitias sui laboris, perversæ hærefoes facile primores, juratosque asseclas, Ecclesiz unius, suorūmque saluti restituit, tantò præcellentius esse assevero, quantò unquam gloriofius & Vobis constat, unius animum præ mille hostium corporibus in spolium referre. Et verò actione injuriarum Vobiscum propemodum agerem, quisquis, aut quænam Vestrūm illud mihi detrahitis, non omne, quod colebat, animum, & quas illo versabat cogitationes, in me præcipue retulisse. Intemperato vitæ enituit candore, clementiam prætulit, pietatem intimis prosequebatur; neque tamen alio ex fine, quām ut morum innocentia institueret plures, mansuetissima indole in partes fidelium pelliceret, Religione, tum exemplo præxiret, tum pertractos fulciret, denique, qui in lucro, atque adeo gaudiis numeraret, pro vel unius salute, pro DEO, ac homine, abjici, calcari, perdi. Ita namque contendo, hoc demum è facto, quantus ipse sim Salesii zelus, multò clarissimè patere, quod hic, non quemadmodum in ceterarum consecutione virtutum, subigendæ passiones, vitia fuissent debellanda, sed pugna committenda cum dotibus, vis inferenda modestiz, pietas cohibenda, clementia temperanda, modò illa, quæ zelus agenda sua sit, non impedita remanerent, latiusque diffunderentur. Quod si tamen Vobis illud ac Vestræ excellentiaz evicistis, ut nulla ztate, lingua, dicendique conamine, in Vobis Salesium, laudari sufficienter posse concedatur, quæ non illa mei prærogativa? quis triumphus? qui tam nobilibus nutritus dotibus, innumerabilibus obarmatus omnes ordine, robore, dignitate superemineo. Talem quidem Salesii

Salesii zelum dicetis, jam ut & de Divo ipso idem existimetis, velim. Non enim unquam in animum induxerim, virtutem illam omnium assensu, humana voce inexplicabiles lucratam honores, non tamen idem Gloriz, in Ipsum, cui insidet, hominem, derivari. Atque hoc, quam latè pateat, dicam, quippe: si me Zelum, voto Salesii, columba pennis alatum, queis vastissimè patentis Europæ pervolem spatia, me, inquam, ut dignè opinione Vestra, & quantum valeo, prædicer, omni tempore, loco, omnium lingua celebrandum annuitis, parem gloriam, Divo Antistiti, non autem ultima jam effluxit temporis ætas, non adhuc omnis laudibus insonuit locus, non communis omnium vox, quæ vel nasci potest, vel debet, soluta est, quæ tamen omnia multum laudis restare adhuc, atque deferendum esse faciunt, solamque offendunt insufficientiam, tribuatis, necessum est. Atque, nñ Vos mihi plurimum erratis, qui unam fauibus tartari erectam, in libertatem DEI, alterius ope assertam animam, quantum nempe hoc valoris, & meriti sit, Vestris comprehendi vocibus, plus vano, quam pio jactatis eloquio; neque ullus omnium superius beatitudinis hæredem fieri, divinum est effatum, aut oculo aspergit, aut corde suo fuit complexus, ita, ut omnes fugiat tantæ felicitatis pretium, gloria tanta; Salesium verò, tot millia cælesti Patriæ inseruisse, ubi notissimum, insimul concludatis, velim, cum effectus præstantiam assequi non valetis, nunquam etiani eò viribus humanis posse contendi, ut causæ amplitudo, zelus ardentissimus, Ejusque, quam meritus, gloria condigne divulgetur.

His autem Zelo sua dictionis stabiliente momenta, ego PP. RR. quæque certa audientium astimatisima concio, nè plenariè muneri meo, ad quod omni conamine præstandum, tum inclita Vestra evocavit Religio, tum fortiter juxta & diligenter sustinendum erexit exspectatio, defunctus videar, illud apprimè mihi concedi flagito, ut, quod quidem à virtutibus his facile impenetraverim, virtuoso confessui meam jungendo, etiam & Vestram haud difformiem jungaris sententiam. Neque enim aliud à meo Vetrum in statuenda augor judicium, nihil amplius Vestris sedere animis, posteaquam quartario hoc virtutum numero in plenum permoti assensum, atque idem sentiendo, ut de audiendis aliarum, quæ plurima prætexere possent, suffragiis, curam Vobis autumem omnino esse nullam. Sed & ego illarum minime interpellaverim opinionem, atque prætereundum censeo, prolixiora desiderare argumenta, dum ex allatis, discussa integrè, plenariè probata, consummata laudabiliter causa liquet. Atque ita per me licet, alii in Salesio specta ifsimam illam animi, Ecclesiasticæque dignitari piè dominantem modestiam, aduersorum infractam tollerantiam, humilem sui depressionem, pronam omnes juvandi misericordiam, & quæ alia sunt virtutum sexcenta decora, in præsens longioris judicii vocet tribunal, & quod exemplari sui submissione, Eminentiæ purpuram subtersugiens, illos inter, qui se se maxima laude Minimos nuncupant, reciperet, quibus se adhuc viliorem confitendo, repetitis interdum suspiriis in ipsum planè nihilum, ô grande nihilum! humillimè abjecteret, plura intentantium perferret odia, orci insidias constanter pessumderet, clementissimè præcesset omnibus, nullos non adjuvaret, quibus cunctis, veluti Phœbus altum tenens meridiem latiores undique diffundit radios, ita orbi universo præluceret, esseque admirationi, hæc per me alii depositant, commemorando prædicent, prædicando æternaturis Gloriz fastis velint inserenda. Vos, quoniam & horum nulla digna satis prædicatio, nulla par potest laudatio inveniri, salubriori consilio, sub hæc sacerrima honori Salesiano dicata solemnia, humanæ eloquentiaz, quod semper suâ prohiberetur laudandi

dandi insufficientia, toto statuente virtutum ordine, mecum, jus dicitote, hanc Panegyrico absolvite, atque demum æternum fixam, ratamque sententiam habetote.

Posteaquam nullius est tam flumen ingenii, nulla dicendi, aut scribendi tanta vis, tanta copia, quæ, non dico exornare, sed enarrare, Divinissime Salesi! res Tuas, vita præstantiam, præstitarum virtutum posset amplitudinem, etiam affirmo, & hoc pace dicimus Tua: Quod à primo vita spiraculo liliatum intemeritatis candorem, ter repetito innocentis voti jurasti sacramento, & inde Angelis proximior, in eadem puritate totum vita Tuz constituisti cursum; castissimis supernorum spirituum laudibus, Angelicis Choris cælo toto laudatissimè depraedicator. Quod mansuetudinem coluisti tantam, quâ nuspian major ab homine præstari, quāmque digna commendatione prosequi nulla mortalium valet ætas, sed & divinis prodigiis cælum probandum assumpit, Te, clementissime Salesi! cum Antesignano suo D. Francisco de Paula, cuius æquæ una fuit industria agniz vacare clementiz, Filiisque suis facile principem transcripsit hereditatem, triumphans istorum, & in cælis sacerdotali Ordinis hujus penè multus exercitus, cælicis suis celebrent honoribus, dicant triumphum. Quod latissimis terræ spatiis vastiorem zelum prætulisti semper, quo universum orbem DEO lucrari, cælis inserere laborasti constantissimè, nec unquam remissius habuisti, sed eundem post fata glorio-sissimum æternitati intulisti, Tibi, zelosissime Salesi! universus Apostolorum, Martyrumque plurimus numerus, immarcescibiles lauros, palmas, plaususque cælicos adornent, perennemque accinant victoriam. Quod pietatis studiosissimus, amore Numinis Seraphicus tantam semper habuisti religionem, quantam Superi omnes in ipsis cæli atris spirant, atque toto vita Tuz spatio una fuit estimatissima sanctitudo, Tibi, pientissime Salesi! universa cælestium Militia acclamet, sanctisque suis præconiis gloriam adstruat sempiternam. Hæc atque talis una omnium esto sententia.

Ego vero, dum ob tantum causæ eventum, felicem decisionem animatus gratulor, ac toto corde exulto, Vobis quidem lectissimæ Salesi Virtutes, dum talia in Jus à me vocatæ, ac pro judicio tanta constituistis, quas modo valeo rependere præprimis gratias, plurimamque animi mei reddo gratitudinem. Vobis autem AA. Spectatissimi, dum illarum datum fuit audire ratiocinia, quid aliud erat, quam Salesium in qualibet harum loquentem exciperet; locutus est Sacerrimus Antistes, quando illæ dixeré sententiam, neque haec silentio dedere aliquid, quoniam, quæ Divi reticuisset modestia, eadem, quâ pollebant facundiæ, extulere. Ergo in hoc virtutum tribunali nobilissimas Salesii dotes, ipsumque verba fecisse, coram inaudiistis; unde non immerito ego Salesium disertissimum sibi Oratorem

D I X I.

